



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum ebrietas sit grauissimum peccatorum? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

vel potus. Nec tamen ad vomitum prouocandum requiritur quod sit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat: & ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.

ARTIC. III.

Verum ebrietas sit grauissimum peccatorum?

726

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod ebrietas sit grauissimum peccatorum. Dicit enim Chrysofost. * quod nihil est ita dæmoni amicum, sicut ebrietas, & lasciuia, quæ est mater omnium viciarum. & in Decreto dicitur distinct. 35. † Ante omnia clericis vetatur ebrietas, quæ omnium viciarum radix, & nutritrix est.

† Ho. 71. ad pop. Antioch. à med il. lius, t. 5. † In decreto di. 35. c. ante omnia

¶ 2 Præterea, Ex hoc dicitur aliquid esse peccatum, quod bonum rationis excludit. Sed hoc maxime facit ebrietas. Ergo ebrietas est maximum peccatorum.

¶ 3 Præterea, Magnitudo culpæ ex magnitudine pœnæ ostenditur. Sed ebrietas videtur esse maxime punita. Dicit enim Ambr. * quod non esset in homine seruitus, si non fuisset ebrietas. Ergo ebrietas est maximum peccatorum.

* In lib. de Helia c. 5. parū ante me t. 4. † lib. 33. Mor c. 12 parū ante vied. habetur.

SED contra est, quod secundum Gregor. † vitia spiritualia sunt maiora quàm carnalia. Sed ebrietas continetur inter vitia carnalia. Ergo non est maximum peccatorum.

RESPONDEO dicendum, quod ex hoc dicitur aliquid esse malum, quod priuat bonum. Vnde quanto maius est bonum quod priuatur per malum, tanto malum grauius est. Manifestum est autem quod bonum diuinum est maius, quàm bonum humanum. Et ideo peccata quæ sunt directe contra Deum, sunt grauiora peccato ebrietatis, quod directe opponitur bono rationis humanæ.

Ad primum ergo dicendum, quod ad peccata intemperantiæ maxime homo habet pronitatem, propter hoc quod huiusmodi concupiscentiæ, & delectationes connaturales nobis sunt. Et secundum hoc dicuntur huiusmodi peccata esse maxime amica diabolo,

Q 3 boio,

bolo, non quia sint alijs grauiora, sed quia sunt apud homines frequentiora.

Ad secundum dicendum, quod bonum rationis impeditur dupliciter. Vno modo, per id quod est contrarium rationi. Alio modo, per id quod aufert usum rationis. Plus autem habet de ratione mali id quod contrariatur rationi, quam quod ad horam usum rationis aufert. Usus enim rationis potest esse & bonus, & malus, qui tollitur per ebrietatem. Sed bona virtutum quæ tolluntur per ea quæ contrariantur rationi, sunt semper bona.

Ad tertium dicendum, quod seruitus est consecuta ex ebrietate occasionaliter, in quantum Cham maledictionem seruitutis in sua posteritate accepit, propter hoc quod irrisit patrem inebriatum; non autem seruitus fuit directe pœna ebrietatis.

ARTIC. IV.

Utrum ebrietas excuset à peccato?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod ebrietas non excuset à peccato. Dicit enim Philosophus in 3. Ethicor. * quod ebrius meretur duplices maledictiones. Ergo ebrietas magis aggrauat peccatum, quam excuset.

¶ 2 Præterea, Non excusatur peccatum per peccatum, sed magis augetur. Ebrietas autem est peccatum. Ergo non excusat à peccato.

¶ 3 Præterea, Philosophus dicit in 6. Ethicor. * quod sicut ratio hominis ligatur per ebrietatem, ita ligatur per concupiscentiam. Sed concupiscentia non excusat à peccato. Ergo etiam neque ebrietas.

SED contra est, quod Loth excusatur ab incestu propter ebrietatem, vt Augustinus * dicit contra Psephum.

RESPONDEO dicendum, quod in ebrietate duo attenduntur, sicut dictum * est, scilicet defectus consequens, & actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantum causat inuoluntatem.

727
1. 2. q. 76
art. 4. ad
1. & 4.
Et 2. dif.
21. q. 2.
a. 2. ad 2
* c. 5. in
med.
† c. 5. &
11.

lib 22. c.
44. & 6.

* arti. 1.
huius q.